

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Lvnatcvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

quotidianam, subsequatur. Nam qui volet vitam suam servare, eam perdet. Qui vero vitam perdidit mea causa, & Evangelii, eam servabit. Quid enim prodest, quenquam etiam totum mundum lucrari, si vitæ suæ jacturam faciat? aut quid habet quisquam, quod cum vita sua compensare possit? Etenim quem mei meorumque dictorum in hoc adulterino sceleratoque hominum genere poenituerit, ejus me vicissim poenitebit, cum & meo & paterno splendore conspicuus veniam, una cum sanctis & divinis Geniis. Nam venturus sum, & pro suis quemque factis renunciaturus. Quin etiam hoc vobis confirmo, quosdam esse ex hoc conventu, qui non sint obituri mortem, quin me regni divini præpotentem venisse viderint.

SENTENTIA.

Christi cognitio ab homine non proficiscitur. Sequendus Christus est, isque omnibus præferendus.

LUNATICVS. Matth. 17. Marc. 9.

Luc. 9.

ARGUMENTVM.

Jesus lunaticum, quem ejus discipuli sanare non poterant, sanat, ab ejus patre exoratus.

Q

Pater

*Pater lunatici, Jesus, Dæmon,
Quidam, Alius.*

Magister, oro te, ut me, meumque 'unicum
filium, quem tibi hic adduco, respicias.
Agitatur nescio quo furali spiritu muto: credo
eum Dianæ incitatione ita misere infestari. Nam
cum subito eum mala illa pestis corripuit, tum
vero ad motis dolorum ^{a)} facibus repente dive-
xatur, & cruciatibus fodicantibus horribiles gemitus
& dentium stridores edens, spumas agit in
ore: & vix tandem sævis cruciamentis perfractus,
a tam immanium furiarum vinculis laxatur.
Eum deduxi ad tuos discipulos, & oravi, ut eum
tanto malo liberarent, sed non potuerunt. *I.* O
diffidens hominum genus, & pravum, quousque
versabor inter vos? quem ad finem vos perfe-
ram? Huc mihi adducatur. *P.* Ecce eum
tibi. Heu mihi, vide sis, ut repente, te viso,
concidit: vide, ut spumans volutatur. *I.* Quam
pridem hoc ei evenire cœpit? *P.* Jam a pueris
ac sæpe in ignem, sæpe in aquam præceps ruit,
ut dicas, eum in mortem ferri. Sed tu si quid
potes, opitulare nobis, nostri misertus. *I.* Si
credideris, nihil est, quod credenti fieri non pos-
sit. *P.* ^{b)} Credo ego quidem, Domine: sed tu
adjuva fidem meam. *I.* Spiritus mute & surde,
ego tibi impero, ut istinc emigres, remigraturus
nunquam. *D.* Bravu. *Q.* Ut convulsus est?
ut mortuo similis? *A.* Imo ego puto plane mor-
tuum.

a) Intestinis.

b) Credabat ille quidem, sed non satis firmiter.

tuum, ita nil omnino movetur. *I.* Cedo mihi istam manum, surge, esto incolumis. Trado tibi filium tuum omni morbo vacuum.

SENTENTIA.

Hominis imbecillitas diffidentiae argumentum est. Fides est omnipotens. Christus etiam infirmæ fidei opitulatur.

LAPIDANTES. Joan. 8.

ARGUMENTVM.

Jesus de seipso cum Judæis differit, eorum vanam ob Abrahamicam stirpem arrogantiam retundit, veram libertatem docet, & lapidationem ab eis effugit.

Jesus, Pharisei, Judæi.

Ego sum lux mundi. Qui me sequitur, non ingreditur in tenebris, sed utetur luce vitæ. *P.* Tu de teipso testaris: testimonium tuum non est verum. *Ie.* Etsi ego testor de me ipso, verum est tamen testimonium meum, quoniam scio unde venerim, & quo abeam, id quod vos nescitis. Vos more hominum judicatis: ego non judico quemquam. Et tamen ut maxime judicem, judicium meum verum sit: utpote qui non sum solus, sed una etiam adsit, qui me misit Pater. In vestra quoque lege scriptum est, duorum hominum testimonium verum esse: ego de me ipso testimonium dico: dicit etiam is, a quo sum missus, Pater. *P.* Ubinam est tuus Pater? *I.* Vos neque

Q 2

me